



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Aequiùs ferri ea, quæ à Deo, quàm quæ à Fortuna putantur esse profecta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

C A P V T   X X V.

*Remedium impatientiae est, scire CASVS à Deo esse; quibus hominem vel extollit, vel deprimit.*

**H**oc est *Fortuna*, quod diximus, &c aliud nihil. Immo ipse M. Tul. ait: *Quid est enim aliud fors, quid fortuna, quid casus, quid euenitus, nisi cum sic aliquid cecidit, sic euenit, ut vel non cadere, atq; euenire, vel alter cadere atq; euenire potuerit?* Quod cum ita sit, mirandum est, hominem tam sapientem, sive immemorem, alibi Fortunæ tantum tribuisse. Qui etiam illud ad Atticum suum scripsit: *Sed haec Fors viderit, ea, qua talibus in rebus plus, quam ratiopo- test.* Quantò sapientius Comicus ait?

*Illud, quod cecidit Forte, id arte corrigas.*

Etsi enim, quod factum est, infectum fieri non possit; potest tamen fortius tolerari, si ars, immo si virtus sit, qua agnoscatur a bono Deo permisum, aut immissum; quam si ab Aete aliqua, aut mala *Fortuna* existimetur praeparatum. Nam multinominis est: & , vt docet Firmicus Maternus, in cœlo, veteres posuerunt, *bonam Fortunam*, & *malam Fortunam*. Bonam, quam *ἀγαθὴν τὸ χρυσόν* vocant, 5. ab horoscopo signo; malam, quam *κακὴν τὸ χρυσόν* nominant, 6. ab horoscopo signo constituerunt. Vtramque, vt inquit Pacuvius, *insanam*, & *cacam*, & *brutam* esse perhibent. Quis *cacæ* non indignetur, quæ nihil cernit, quo se applicet? quis non succonseat *insane*, quæ tam atrox & instabilis est, nulla de causa? quis non irascatur *bruta*, quæ dignum, aut indignum nequit internoscere? At si quid à Deo est, est ab intuente omnia, est à sapiente, est à iusto, est à bono. Necesse est ergo, & ipsum esse bona mente datum. Äquius autem etiam mala ferimus, si constet, bona mente profecta.

Vnde calamitatis suæ remedium habent, qui *Casus* sinistros atque inopinatos iracundè ferunt: qui incendia, furta, rapinas, spoliationes, naufragia *Fortunæ* suæ iniquitati ascribunt; neque vñquam desinunt, *Sortis* suæ temeritatem accusare, identidem dicentes: *malo se astro natos*; *Fortunam alijs bene velle, sibi nouercam esse*; aut *Superos humana non curare*. Deo conscientia, omnia contingunt; & sàpe quidem nostram patientiam exercente; sà-

Gg                      *pissime*

L.  
Cic.lib.2.de  
Diuin.

Cic. lib. 14.  
ad Attic.

Terent. A-  
delph.

II.